

Ecclesie, die et loco prefixis convenientes in unum tractantes de futuri eorum electione pontificis, vocatis omnibus, qui vocandi erunt, potuerunt et debuerunt, comode inter esse demum post varios et diversos tractatus, decernentes per viam compromissi, ad electionem ipsam procedere, compromiserunt concorditer in venerabilem eorum Abbatem Robertum perrensem de botonto, barensen Archidiaconum ipsi contulerunt plenariam potestatem, ut ante omnia de pastore ydoneo predictae Ecclesie Cannensis viduate, provideret. Qui tandem, olim die dominica vicesima quinta proximi preteriti mensis Iunii de predicto fratre Raynaldo providit eidem Cannensi Ecclesie, et eum elegit Canonice, in eiusdem pastorem et Episcopum. Ideoque electo et presentato sibi decreto electionis prefate pro parte dictorum Canonicorum et Capituli, ac petito ab eo, cum instantia, quod consentiret electioni eidem, quam citius potuit, obtenta superioris sui licentia, consentiit electioni predictae. Quare dictus electus petit et supplicat quatinus electionem predictam dignemini confirmare, et sibi confirmata, administrationem temporalium et spiritualium eiusdem Ecclesie Cannensis committere sibi munus consecrationis per sacrarum vestrarum manuum impositionem imposituri, quatinus deo actore, velut pastor ydoneus in hiis que ad Episcopum spectant valeant et prodesse. Et si qui predictis petit per vos procedi summarie sine strepitu et figura Iudicii prout Iura volunt et mandant. Predicta vero petitione per eundem dominum Archiepiscopum metropolitanum admissa Idem dominus Archiepiscopus decrevit et mandavit proponi ante omnia, edictum publice in predicta Ecclesia Cannensi, necnon in Ecclesia barolitana, vicina ipsius, ut si quis vel si qui essent, qui se vellent opponere Electo et electioni predictae Coram eo comparerent legitimum infra certum terminum competentem. parato admictere oppositores quoslibet et audire. set cum infra prefati edicti terminum nec aliquis oppositor comparuerit, prefatus electus adponendum et probandum causa electionis sue huiusmodi se audiri petiit et admicti. Prefato igitur per eum de veritate dicenda et calupniis in et factis nonnullis promicentibus in in causa eadem, ac testibus infrascriptis, ad earum probationem receptis ipsique postmodum publicatis (*sic*). Prefatus dominus Archiepiscopus necessitate coactus extra suam provinciam proficisci primo apud acta dicte cause conclusionem in causa eadem, et demum examinationem persone ipsius electi et sententie prolationem super actuatis in causa ac confirmationem electionis eiusdem, nobis fratri Guillelmo humili Abbati Monasterii Sancti viti ordinis sancti benedicti polinianensis dyocesis, eiusdem domini Archiepiscopi in spiritualibus vicario generali, commisit per suas licteras continentie infrascripte. Rogerius dei et Apostolices sedis gratia, barine et canusine sedis Archiepiscopus, dilecto nobis in christo fratri Guillelmo Abbati Monasterii sancti viti de poliniano nostro in spiritualibus vicario generale salutem in domino et sincere dilectionis affectum. Cum ex informatione veridica facta nobis noviter per nonnullos, tum quia nos presentes in barulo fide oculata perspeximus nobis constare quod Cannensis Ecclesia suo ad presens viduata pastore magnum ex ipsis pastoris carentia patitur, in spiritualibus et temporalibus detrimentum. Cum igitur pati nolumus prout etiam nec d mus quod ipsa Cannensis Ecclesia, ex ipsius pastoris defectu, defectum aliquem patiatur, tibi cui causam electionis facte per Cannenses Canonicos, de venerabili viro fratre Raynaldo, de barulo, de ordine predicatorum, Cannensis Ecclesie memorate, nec non de meritis eligentium et Electi commisimus instruendam usque ad examinationem